



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Passionem Christi piæ meditationi subjectam, cujusvis sanctæ affectionis materiam præbere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

diximus, consequentibus capitibus paulò explicatiùs tradenda sunt. Nam cùm non parùm sit periculi, ne contraria persuasio nonnullis imponat incautiorebus, eosque prætentâ præstantioris boni specie, à recta via perfectionis abducatur; placuit rem omnem operosiùs discutere, & istam, tanquam asceticam prolusionem præmittere; in qua, contra quam nonnulli volunt, efficaciter (nì fallor) demonstrabitur; assiduam animi circa Christi vitam ac passionem occupationem, & incipientibus viam spiritùs, esse omnino necessariam, & proficientibus studiosè retinendam, & perfectis quoque, atque (si ita vis) ad sublimem etiam Dei contemplationem unionemque mysticam evectis, non esse penitus abijciendam.

C A P V T II.

Passionem Christi piè recogitatam, ad divini amoris perfectionem suam contemplationem adducere.

§. I.

Passionem Christi piè meditationi subjectam, cujusvis sancta affectionis materiam præbere.

Primo igitur loco illud generatim ponatur: nullam esse sanctam affectionem animi, nullum quamvis præclaræ & excellentis virtutis exercitium, ad quod contemplantis cor non permoveat, piè recogitata passio Salvatoris. Quemadmodum enim (ut eleganter disputat S. Cyrillus Ierolymitanus) veris tempore una pluvia in terram descendit, & rosam quidem rubram efficit, album lilium, purpureum hyacinthum; & sic pro variâ cujusque plantæ conditione, in varios succos, colores, odoresque vertitur: ita una passionis

Cyech. 9.

nis Christi meditatio, in his qui peccatis obligati adhuc tenentur, sanctum Dei timorem, horrorem peccati, compunctionem cordis, poenitentiae lachrymas; in ijs vero, qui serio ad Deum conversi, in via spiritus jam proficere coeperint, contemptum saeculi, deliciarum fugam, severitatis amorem, continentiae, humilitatis, patientiae studium; at in his qui ultra progressi, Deo jam intimius ac familiarius adhaeserint, pacem animi, ac gaudium spiritus in quibusvis animi corporisve afflictionibus, amorem purum ac fortem, omnimodam sui sub Dei nutus subiectionem, ardens desiderium assimilandi se Christo, ac tandem perfectam in ipsum Christum transformationem parit; atque in singulis pro cuiusque captu ac genio se attemperans, prout cuique opus aut usus est, in varios se colores & formas, in omnigenos inquam effectus affectusve convertit.

Hic etenim nominatim valet, quod universè tradit Seneca: *Non est quod mireris, ex eadem materia suis quemque studijs apta colligere. In eodem prato bos herbam querit, canis leporem, ciconia lacertum.* Ita hinc quippe in eodem prato, seu magis in eodem monte Calvariae, ille compunctionem cordis aut pias animi condolentis lachrymas, iste in adversis fortitudinem & constantiam, alius sanctum & castum amorem, postremus intimae contemplationis quietem quarit & invenit; & quasi ex florum istius subnaescentium amantissima varietate, quisque quod amaverit, carpit; seu potius unum illum florem, IESUM nimirum Nazarenum crucifixum, in usus suos spirituales, quemadmodum quisque animo affectus & comparatus est, variè convertit. Quamobrem praeclare & huic loco consentaneè B. Albertus Magnus, agens de Christo, qui se florem campi dixerit; eundem ait non uno modo florere in campo Ecclesiae, sed rubere in Martyribus, virere in Confessoribus, candescere in Virginitibus, pallere in poenitentibus, nigrescere in humilibus, ru-

Ep. 108.

L. 12. de
laud. Mar.
cap. 4.

tilare in Doctoribus, &c. Quasi flos ille de crucis stipite in Calvaria colle progerminans, in se uno florum univerforum varietatem præferat, idem rosa, idem lilium, idem viola, caltha, hyacinthus; quemlibet nimirum ad nostra commoda tanquam colorem, ac vultum aut speciem induens, eamque cujusvis indoli, ingenio, sensibus accomodatam.

Unde etiam S. Bonaventura disertè negat, ullum hominem, in quocunque gradu aut statu sit, posse se à consideranda Christi passione excusare: *quia nullus est* (inquit) *qui non inveniatur in hac arbore* (id est, in palma crucis, de qua loquebatur) *suavissimum fructum & sufficiens nutrimentum.* Quod deinde demonstrat, discurrens per quinque diversos status hominum: *Si peccator es* (inquiens) *considera illam, ad peccatum detestandum.* *Si penitens, ad exemplum penitentia.* *Si proficiens, ad ejus effectus rimandum & ruminandum.* *Si perfectus, ad totum te in illam transformandum.* *Si in justitia consummatus, ad Dei dilectionem & dignationem erga nos admirandum.* Tum graviter denique concludit: *Nullus ergo se excuset, quin hic inveniatur pabulum suum; quin hic inveniatur portum, domicilium & centrum suum.*

Quibus consentaneè Fulvius Androtius noster: *Passio aut crux Christi* (inquit) *est arbor vite in medio Paradisi sanctæ Ecclesiæ; in qua alij sunt rami sublimes & in cælum erecti, alij humum versus depressi:* atque sublimes ait esse pro mentibus excelsis, quæ sublimiore divinarum perfectionum contemplatione pascuntur; humiliores autem ijs inservire, qui etiamnum in spiritu parvi sunt, & solâ passionis Christi memoriâ, aut turpitudinis peccatorum suorum meditatione, tenentur. Quasi arbor crucis similis sit illi, quam olim vidit Nabuchodonosor, de cujus fructibus non solum pascabantur bestia terræ; sed & volucres cæli (id est mentes sublimes, & cælestium contemplationi affvetæ) conversabantur in ramis ejus.

Quapro-

Quapropter dubitandum non est, tum aliorum pi-
rum sensuum, tum sublimis etiam contemplationis & sancti
amoris copiosam materiam in Christi passione reperiri;
prout nunc jam à nobis accuratiùs demonstrandum est.

§. 2.

*Hanc ipsam circa Christum passum exercitationem, ad in-
flammandum cor amore Dei, vim præcipuam habere.*

Cave enim putes, cum summa Christianæ virritis in pu-
ro Dei amore posita sit, hujus tibi causas ac rationes,
in hoc tam præstanti argumento desore. *Ubi enim, quæso, p. 1. Scim.*
(ut S. Benaventura loquitur) *magis apparet diffusio bonitatis c. 4.*
divinæ, & clementiæ dulcissimi & amantissimi Dei & Domini
nostri Iesu Christi, quàm in passione sua? Ubi magis sapit a-
mantis supereminens dulcedo divini cordis? Aut quæ uspiã
potentior amoris illecebra, (quam diu quidem in isto cor-
pore peregrinamur à Domino) quàm in illo divinæ charita-
tis incomprehensibili prodigio, in verbo Dei non tantum-
abbreviato, sed etiam exinanito & exhausto propter nos;
in Deo depresso & humiliato usque ad formam vermis, &
mortem crucis; in illa demum fornace amoris & charita-
tis, in corde inquam Iesu Christi, amore nostri, vulnerati &
crucifixi.

Hinc sumas licet amoris tuo pabula; hinc sanctæ ebrie-
tatis & internæ suavitatis materiam; hinc (si quando te fo-
por divinæ contemplationis occupaverit) locum inveni
spiritualis quieris. Neque enim, post ipsum divinitatis fi-
num, intra quem quiete imperturbabili perfruuntur beate
mentes, invenies lectulum suaviolem, in quo dormiens si-
leat, & somno suo requiescat contemplatrix anima, quàm
apertum latus & vulneratum cor Salvatoris: quod etiam
eam